



## Contenta.


1. Lassenij 23. singta Athieste
2. Spiegelij de Atheistni midie
3. D. Justi Gesenij, Buchlein  
von cruxforschung von  
Hedon.
4. S. Anastasij, et Cyrilli  
Alexandrinii compendii  
aria orthodoxae fidei  
expositio ex B. Heneli  
Episcopi Ravennae epistola in  
qua praeципue tripli objections  
contra divinit. filij doctrinam  
tantur.
5. Quistorpij Quæstio hymnica  
Ulrum sine læsione con-  
scientiae, pro saute seu in-  
sanitatem aliorum, libere li-  
ceat?
6. I. Avianij Adamus lapsus.  
Tragœdia nova.


84


Bandalband.

27









A D A M V S<sup>6</sup>  
L A P S V S<sup>5</sup>

IOANNIS AVIANII  
TVENTORPHINATIS.

T R A G O E D I A  
N O V A;

In qua producuntur primi  
nōstrī parentes, & humanæ infelicitā-  
tis ostenditur origo prima, ea quidem fe-  
licitate, vt quemadmodum experiundo  
non acerba esse illa non possit, sic in thea-  
tro quibusuis eruditis spectatoribus, domi  
vero etiam Lectoribus singulis iucun-  
dissima futura sit.

*Lege: non pænitabit.*



*[Handwritten mark: Ell 138]*

Lipsiæ,

I M P R I M E B A T M I C H A E L  
L A N T Z E N B E R G E R.

A N N O

M. D. X C V I.

g.K.8.11495

2  
V  
P R A E T E R T R A G O E-  
dias quæ in Danielis editione indi-  
cantur, ab autore interim com-  
positæ sunt,

1. Pharao submersus.
2. Abel clamans.
3. Epulo damnatus.

*Comædiarum non pauciorum  
indicationem Comædia edun-  
dæ reseruamus.*

I

VIR O V E R E N O B I L I , E T  
V E T E R V M I M A G I N V M E T  
propriæ virtutis splendore con-  
spicuo &c.

D O M I N O  
I V S T O A C O S P O T ,  
P RÆF E C T O S L E V I C E N S I ,  
A M P L I S S I M O M V S A R V M  
patrono , patrono etiam suo , Ioannes  
Auianius Tuntorphinas Gera-  
ni ludi Magister  
S P . D .

**N**UNQ V A M secla tot optimos  
poëtas  
Augusti fuerant datura Phœbo,  
Si non optimus Imperator ille  
Illi omnibus optimè poëtis  
Consultum voluisset , atq; in omnes  
Clemens ingenia omnium excitasset.  
At nunquam puto talis in poëtas  
Augustus fuerat futurus idem,  
Si non ipse poëta , doctiorq;  
Vulgo , Pieridum sacris fuisset  
Asscriptus : quis enim colore cœcos  
Ulos afficiat ? quid ex Apellis  
Laudabit tabulis inops Homerus ?  
Cum post barbariem nitor redire  
Debebat studijs , erat necesse

A 2

Non

Non tantummodo pauperum tabernas  
 In libris habitare, versibusque  
 Vertendis, sed & hoc potentiores  
 Exemplum dare principes, quod ortum  
 Paruas serperet in casas ab aulis,  
 Interiecta ducum hinc, & inde plebis  
 Exemplis, stimulata vtrinque vestra  
 Quantum nobilitas in hac arena  
 Praestet praestiteritque, nemo nescit  
 Praestantissime Iuste, nemo nescit  
 Quanti tu facias poësin ipse, &  
 Quantum tu facias poësi in ipsa,  
 Quamuis ardua tot negotiorum  
 Moles non patiatur in poësi  
 Te totumue diuine commorari,  
 Nendum semper, ut optimi poëtae  
 Fecere & facit optimos quod illos.  
 Quare iudicio tuo peracri,  
 Tutelæque tuæ dico peræquæ  
 Inscribo Tragœdiam recenter  
 Perscriptam mihi, cuius in cothurno  
 Spectari licet, induantur vnde,  
 Humanæ mala tanta totque genti,  
 Postquam quod vetitum fuit, placere  
 Impulsore parentibus Dracone  
 Nostris cœpit, & arbor una mortem  
 Iustum disposuit, quibus licebat  
 Sexcentis alijs iuuare vitam.  
 Donum est exiguum, fateri oportet:

Tor-

Tormentum mihi veritas : sed vnde  
 Furarer meliora deprehendi  
 In furto metuens , cruci que figi ? (mō  
 Sinon optima, quid ? quid optima? im-  
 Hæc si non bona , tu tamen probabis  
 Natiuæ bonitate ( quod rogandum  
 In primis fuit , est , erit , rogoque . )  
 Fortassis meliora post volente  
 Producam Domino , Vale : dabantur  
 Geræ , septimus Imber in sequentem  
 Cum mutatus, & horridas pruinas  
 Dispergens properaret, vt duobus  
 Accitis socijs moueret annum,  
 Annum qui quotus esset à beatæ  
 Partu virginis vt darem sciendum,  
 Hoc vnum potui monere : ter tres  
 Sperandos alios , & integrorum  
 Seclorum numerum futurum eundem ,  
 Qui sumtis venit octies duobus.




A 3 IN

IN ADAMVM LAPSVM  
**I**O HANNIS AVIANII TVN-  
 torphinatis, viri & Docti & Reueren-  
 di, Deo Musisque Chari, <sup>αὐταδιλός</sup> sui Obser-  
 uandi Tragœdiam revt acerbam, ita  
 lectu iucundam,

### EPIGRAMMA

*Iohannis Hornicæi Lipsiensis Opt. art.  
 Magistri, Sacrarumq. LL.  
 Candidati, &c.*

**I**ngenio felix Auiani, gloria Musis,  
 Cur metricus tractas dogmata sacra modis?  
 Anne Deo quò surgat bonos, quò debita fiant,  
 Quoq; tuum vigeat nomen in orbe vago?  
 Sic est: dum cantas sacra, tollis honore Tonan-  
 Charus es Aonijs, & tua fama viget. ( tem,  
 Sed noua, cur Lapsus, tibi dicta tragœdia, Ada-  
 Prima sit in primo cum tamen acta solo? ( mi,  
 An qui atu renouas numeris, terraq; reducis?  
 Si sic vis, potis es dicere ritè nouam.  
 Perge tuis renouare metris mage dogmata sacra,  
 Charus eris Musis, gratus erisq; Deo.



**A**ntiquos memorat casus AVIANIVS, orbi  
 Crimina quos primi prima dedere patris.  
 Nam

Nam vetitâ rapit hic vetitos dum stipite fructus,  
Ocyus bumano fert mala cuncta gregi.

Iratum sentit Dominum, multumq; gemiscens  
Nullum, quod fugias, cernit adesse locum.

Elysio (miserum) Paradisi pellitur horto,

Exul & in sterili tristis oberrat humo. (bus,  
Sudor agit, labor vrget edax, habet omnia mor-  
Aeternaq; necis terror & horror adest.

Niq̄ Sator rerum sortem miseratus acerbam

*Ipse Redemptoris sponte subisset onus:*

Omnes Cerberus Coluber strauisset, & omnes

Meysset Stygüs cymba Charontis aquis.

*Hærenouat tragicis Auiān I Musa figuris:*

Hanc legem: hauis enim carmine, regis grauis.

Casparus Conradus Vratisla-  
uiensis Sil. Philosophiæ &  
Medicinæ Studiosus.

TNfandum resonat modulanti Auianius ore

*Crimen, & humani quæ sit origo mali.*

de labor, curæq; fluant, in corpore morbi

Vnde tot, indomitæ mortis & vnde tremor.

ius ob noxam nigrum damnatur

**Adamus Brux Sprottauien-  
sis Sil. Philosophiæ & Me-  
taphysicæ Studiorum**

A A P E R-

6

## P E R S O N Æ.

Logos Serpens

Adam Eua.

Chorus angelorum.



## P R O L O G V S.



Ragædiarum plena iam sunt o-  
mnia,

Fuere plena, quam diu mundus  
fuit,

Et quam diu mundus futurus est,  
erunt.

Quamuis ab auro nos ad argentum velint  
Et hinc ad æs venisse, ab ære ad ferreum  
Seclum poëtæ: possit hoc credi quidem,  
(Quando & Prophetam sic locutum memini-  
Vereq; dictum sit, suoq; cum modo: (mus)  
Meliora vetera, tristiora recentia  
Volui per orbem computantem tempora.  
Sed quantum in auro miseriарum splenduit?  
Quantum mali nituit per argenti dies?  
Quantum per æris? ne quis vni iudicet  
Inesse ferro, quod metallis omnibus  
Inest peræque, omnemq; in ætatem cadit.  
Causam videre non queat homo visua.

Mens

Mens cæcior, oculiq; nostri, quam quibus  
 Obscuritate in hac ducibus uti satis  
 Certis queamus: sola sacra Biblia  
 In uno Adamo perdiderimus qualia,  
 In altero repererimus, liquido docent.  
 Hæc semper animo credulo voluere decet,  
 Crebro legere, qui legere scit, qui librum habet  
 Audire semper, cum audiendi copia est.  
 Nunc facta spectandi est potestas insuper  
 Vobis, agendi facta nobis si modò est.  
 Spectare non nocebit, horas plurimas  
 Vos collocasse peius atq; hanc arbitror.

## ACTVS PRIMVS.

Logos : Adamus.

**C**Vm multa possis, multa cum scias homo  
 Per me: beneficia non tamen potes mea  
 Numerare: tibi cæli patentis limina  
 Abblandiuntur, vsui tellus tuo  
 Inseruit, aërisq; campus & maris.  
 Quæ iam tuum considerare est omnia,  
 Unum monebo: liberum te condidi,  
 A libero coli volebam, nec placet  
 Opus, coacta cui voluntas præfuit,  
 Et quæ voluntas iam vocari non queat.  
 Si me sequeris, his retentis, quæ tenes  
 Felicitatis magna mox accessio  
 Fiet prioris: sin relinques, mortuus

A 5

Hinc

*Hinc extraheris : nunc vide , ne sentias ,  
 Quid illa mors sit , & mali quantum miner.*  
**A D A.** *At alius est , cui pareamus obsecro ?  
 An non creasti cuncta solus ? an tua  
 Imago frustra lucet in me ? coniugem  
 Similem mei , quod habeo , cuius munus est ?  
 Certè tuum , cur ergo non obtemperem ?  
 Cur viuere ista legibus nolit tuis ?  
 L. Quæ deserentes pæna maneat tradidi.  
 A. Ut nulla sit , promptos habebis nos tamen.  
 L. Ne me iocari crede , dixi seriò.  
 A. Et te iocantem non videbis despici.  
 L. *Hic est amænus hortus , hic sunt arbores  
 Grato placentes flore , pomis vtiles .*  
*Hic quattuor sonare fontes fluminum  
 Audis rigando non iniquos cespiti:  
 Vides , ut esca degrauet ramos tua ,  
 Quam non prohibeo , quin petas à cæteris ,  
 Sed illa , quæ pomum videtur dulcissimus  
 Arbor tenere , cuius est discernere  
 Bona à malis non absq; cognoscentium  
 Incommodo lucluq; , nunquam te cibet .  
 Nunquam tuos , perire si duces graue .*  
**A.** *Hoc sufficit sic indicasse : nam tua  
 Meæ voluntas certa vitæ regula est .  
 Quam si relinquo , mox relinqui debeo ,  
 Direptioniq; esse cuius omnium ,  
 Seruire quæ subiecta voluisti mihi .  
 Quid est facilius , quād tot inter arbores**

Una

Una carere , vel duabus , vel tribus ,  
 vel pluribus , si tu creator iusseris ?  
Quid est facilius , quam fruentes cæteris  
Terræ , quibus donamur ab te , fætibus  
Non querere , quid illa arbor , aut hæc porrigat ,  
Si sic tibi videatur , & tu iusseris ?  
 L. Offertur animus promitus . A. esse quæ decebat  
 L. Mibi sed vni , AD. si iuberes pluribus ,  
 Difficilior res esset , vni facilima est  
 Seruire . LOG. sit bonitatis hoc signum meæ  
 Tibi quoq; præter superiora maximum ,  
 Quod difficultas nulla mandatis meis  
 Inhæret , à qua torqueare . AD. torqueor  
 Non esse difficilia , quibus in te arguar  
 Sim qualis , & facilia vix credi mibi .  
 L. Dic facilia , ubi iam feceris periculum ,  
 Seruauerisq; , vince prius , & post cane ,  
 Nunc esse non iniqua , quæ præceperim  
 Fatere . AD. fateor . LOG. digna , quæ incul-  
     cauerim  
 Bis terq;. AD. non equidem putaram , sed meæ  
 Non est resistam quod tuæ sententiae  
 Aeterne rex æterne rerum conditor ,  
 Metuende , diligende , cunctis conditis  
 Qui iustus ira , liber actionibus ,  
 Qui veritatis laude gaudes , & vales ,  
 Qui casta castus approbas conformia ,  
 Qui non potens alibi es , & alibi non potens ,  
 Qui non sapis finita , qui potentia

Sapientiaq; maior es, quam qui queas  
 Determinari, largitate promptior,  
 Quam prædicari satis ut ex merito queas.

Chorus.

Quid bonum non est? quid habetur usquam?  
 Quod neges rectum? quid habetur usquam  
 Præbeat quod non sua cum datoris  
 Commoda laude?

Vertitur cælum, nitidasq; stellas  
 Nocte circumfert, radiusq; Solis  
 Liberat densis oculos quietæ

Noctis ab umbris.

Luna nocturno reuoluta curru  
 Präsidet stellis, aliumq; vultum  
 Induit semper, neq; quanta cessit

Tanta recurrit.

Aut enim solem repetens amicum  
 Orbis ex pleni facie remittit  
 Atq; in occultum minuenda corpus

Cornua sumit,

Solis aut dulcem coitum relinquens,  
 Orbis e& pleni faciem requirens,  
 Semper ut crescant, aliquid renatis

Cornibus addit.

Luna dat menses celeres, dat annos  
 Tardior Sol, & duodena signa  
 Transiens immite gelu potenti

Temperat astu.

Quis

## II

Quis sciens certos vtriusq; tanti  
Luminis motus sine conditoris  
Laude supremi speculationem

Inchoet ullam?

Magna terrarum spacia inter vndas  
Prominent, magnis & opus nepotum  
Copijs Euæ est, quibus impleantur

Omnia culta.

Sol tamen vincit, spaciosiorq;

Quamlibet cæli propè nulla pars est,  
Emicat curru, Zephyroq; cursum

Obuius vrget.

Ista pro certis vt habere possint,

An pater scalas, & Adam propinquus

Inseret Soli digitum, supraq;

Nubila scandit?

Aggeret terram, statuetur ingens

Pyramis, cæloq; feret cacumen?

Non potest hoc, nec fieri (vt probetur

Posse) necesse est.

Inditum menti est numerare, remq;

Quanta sit longe positam videre,

Frons notas certas oculata quando

Nunciat illi.

Arduum quid tam sit & impeditum,

Ut Deum summum referens imago

Assequi nondum queat, & retecto

soluere nodo?

EVA ter felix, ter ADAM beatus

Si

Si quod est, semper sit & hic & illa,  
Atq; contentos strue tot bonorum,  
Totq; præstantum titulis honorum,  
Nulla maiorum perimat cupido.  
Nam supra sortem voluisse niti,  
Cum creatori Satanas creatus  
Vellet æquari, nocuit, nocebit  
Si quis exemplum sceleris sequatur  
Si quis : at ne quis, Deus ipse rerum  
Conditor obstet.

*Cum tibi costam Deus abstulisset,  
Et sopor te , dum fieret , teneret ,  
Fecit uxorem , dedit excitato ,  
Nunquid ignoras homo , cuius usus  
Unde sit , cuius caro , cuius os sit ?  
Applicas hoc ad latus , unde sumta ,  
Non heram , quam det caput , aut ministram  
Quam pedes , sed de medio bonorum  
Omnium & rerum sociam venire  
Corpore constat.*

*Este fæcundi, repleteatur orbis,  
Este facundi, repleteantur ora  
Laude diuina: nec enim potestis  
Gratias dignas aliter referre.  
Rettulit, quicunq; habet: est habentis  
Hoc vt omnino quoq; agat, Deus q;  
Insuper possit nihil: hoc volucres  
Sæpe natura duce factitabunt,  
Vos quibus mens est, facietis illis*

Rari-

Rarius & spero facietis ambo, &  
 Quotquot amborum thalamo serentur,  
 Omnis ut tardus monitor futurus  
 Sit rei factae, facietis ut sim  
 Vera locutus.

## ACTVS SECUNDVS.

Serpens.

**M**ene exulare & méne pulsum ab æthere  
 Spem non habere illuc reuertendi, neq;  
 ut paululum fortasse peccaram miser,  
 ( Peccasse quanquam non fateri me decet )  
 Sic esse pœnam, quam luo paruam & breuem ?  
 Si supplicarem, deprecarer, dicerem  
 Posthac futurum, vt ille vellet, qui meas  
 Res perdidit, liceret inter Spiritus  
 Stultos, inertes: inscios sui gradus  
 In pœnitenda seruitute degere.  
 At quam mea carere non possit opera  
 Ostendit hominem fabricando: quid est homo?  
 Simplex ineptum animal, simileq; pecudibus.  
 Huic nostra sedes, deferetur? dignitas  
 Huic nostra deferetur & in meis nihil  
 Si fraudibus præsidij erit, vel viribus.  
 At erit opinor, quantum erit satis mihi.  
 Creatus est mihi sodalis, non Deo  
 Cultor, vtinam magis creasset strenuum,  
 Meditarer altera bella, primo inglorius.

Occa-

Occasionem nulla meliorem feret  
 Dies , eundum est atq; properandum mibi.  
 Mandata faxo negligentem puniens  
 Cultore cæreat rursus , aut non puniens  
 A veritatis laude sit alienior ,  
 Iam qui mouebo Adamum , ut in vetitum ruat ?  
 Fortassis argumenta res præsens dabit ,  
 Adibo , sed simûlne vtrumq; an singulos .  
 Capturus aggrediar ? Virumne an fœminam ?  
 Infirmiores iudicarim singulos ,  
 Infirmorem quæ creata ex altero est .

Chorus.

O impium , ter ô scelestum , ô perditum ,  
 Cuius furor nec in catenis ferreis  
 Coercentur , quiq; pœnas prouocet  
 Subinde maiores subinde nequior ,  
 Nec cogitet , quod integer non valuerit  
 Præstare , capto difficilius iam fore .  
 Deus tueri dignitatem scit suam ,  
 Quacunq; tu bachaberis dementia ,  
 Et quantacunq; vestra coniuratio  
 Sit , illius scansura non est ad thronum :

Serpens , Eua,

Licetnē domina ? EV A. plurimum agnoscendi-  
bus

Dominam licebit apud eam , quam agnouerint .

S E R. Agnosco dominam non meam modo & mei  
Anima-

*Animalium generis, sed omnino omnium,  
 Tenuis perita quæ volandi aër habet.  
 Tellus euntia, æquor innatantia,  
 Imo aëris, terraq; & ipsius aquoris.  
 Sic nanq; velle D E V M per edictum D E I  
 Immensa rerum nōrit vniuersitas.*  
**E.** Quid vis tibi licere? **S E R.** tecum colloqui  
*Nunc, semper inferuire salua gratia.*  
**E.** Licebit. **S.** O me ter beatum. **E.** qui putas?  
**S.** Cum septies loqui beata cui licet.  
**E.** Licebit inquam. **S E R.** quæq; seruitum meum  
*Gratum sit habitura, licet ipsi debitum.*  
**E.** Si prona promtudo commendauerit,  
*Non eleuabit debitio operam tuam.*  
**S.** Si quid requiris, ede. **E v A.** quid requirerem  
*Beata, sicut ipse dixisti modo?*  
**S.** Nam cuncta, quæ veræ beatitudinis  
*Sunt, possidere te putabam, quæ nibil  
 Potes cupisse, quin sit in promtu simul.*  
**E.** Nunquam nego, cum confiteri munera  
*Accepta sit agere gratias quodammodo.*  
**S.** Venit sitis: larga est bibendi copia,  
*Venit fames: habes edenda, maximus  
 Hortus tuum paratus est ad prandium,  
 Nec gignit arbor vlla, quod sit sumere  
 Nefas. **E v .** locutus es, quod agnosc o piē.  
*Nec impedit, quod arbor vna non venit  
 Nostros in vſus, vna sufficeret quibus.*  
**S.** Verum est, sed vnam quis vetaret tangere?  
E. Qui*

B

E. Qui cæteras permisit. S. an me fallere  
 Conaris? E. ego te luderem? me luderem  
 Conatu eodem: si liceret, quod nego  
 Licere, iam nunc illa saturaret meam  
 Pomus famem. S. quid audio domina mea?  
 Vbi arbor illa? nam videre gestio.  
 Ev. En stirps tenella ramulis videntibus  
 Et mella, quantum sciri ab aspectu potest,  
 Gerentibus, non poma. S. in hac quidem nihil  
 est ligna præter, quod comedere sit nefas.  
 Ev. Credo videri sic tibi, cum nuda res  
 Consideratur absq; mandato D E I.  
 S. Contra videri iudico tibi, quia  
 Mandatum vbi non est, ibi configitur.  
 Ev. Audiuimus ego & vir meus, nil fingitur.  
 S. Tantisper abstinendum erit saltem tibi  
 Dum decipere me pergis, hanc legem puto  
 Dictam tibi solam, sed à te. E. ne puta  
 Finxisse me, verum quod esse nimis dolet.

### Chorus.

Quo fine disceptationis fæmina  
Discedet? an succumbet hostis fraudibus?  
Certè labascit, atq; prodit à D E I  
Se lege abhorrentes habere cupidines.  
Quot passibus factum & cupido differunt?  
 S. Oblata præda est: quid doles? quid angeris?  
 Ev. Quid? aut carendum tam suavi prandio,  
 Aut tam potentis sentiendum numinis

Iram

Iram, nec illud assequenti transitum  
 Per huīus ostendi minas innoxium.  
 S. Fraudum est abunde, comedē, si præsentia  
 Mea obstat, abeo : non enim si quid ioco  
 Videre detraxisse forsitan tibi,  
 Tanquam minus liceret, huīus paucula  
 Ius verba inani perdidere fabula.

## Chorus.

Dimitte, nam magis vereri iam subit,  
 Ne te retentus mittat in summum malum,  
 Quām quærere, vt victo reportes gloriam.  
 E. Hoc nulla persuadebit eloquentia,  
 Vis imperabit nulla manibus liberis,  
 Vitare stat, vitare quod iussit D e v s.  
 S. Si credo, num deceptus in risum dabor  
 Tuo marito à fœmina tam callida ?  
 E. Ut vera, cum rebus q; congruentia  
 Loquar, creata sum, nec utar fraudibus.  
 S. Nec opus, vbi obsequuntur omnes: Vir tuus  
 Utinam hic adesset, sciret aquilam sistere  
 Pullos suos ad lumen, vnde fit dies,  
 Cum rite vult probare : lumen lumini  
 Obiecerint quicunq; solari suum  
 Nullo timore , pro suis habet, fouet,  
 Tuetur, at quos ille cedentes ferit  
 Radius. E. Scio & ego, vt adulterinos abiicit,  
 Quid hoc ad Euam ? S. cogitato : nil tua  
 Non assequere cogitans sapientia,

B 2

E. Tu-

**E.** Tuum est tua explicare. **S E R.** ferre fortiter  
In arborem, Dei q; legem: Sic enim  
Generosa costa, & digna videaris viro,  
Si feceris aliter, videberis alia.

**E.** Sic digna sum viro futura, si viri  
Vestigium secuta faciam, quod bonis  
Illiis in factis & exemplis erit.

**S.** Non ut imitere coniugem, sed ut iuues  
Ex masculina parte tota fæmina  
Existis. **E v A.** hic igitur nihil agentem nihil  
Iuuare possum. **S E R.** miror hoc quis fecerit  
Hortense lignum cum nocuis fructibus  
**E.** Qui fecit hortum. **S.** conditorum est ultimū  
Fortasse, cum defecit ars fessum sua.

### Chorus.

*Agnosce mulier, quis loquatur, increpet  
Te dominus impurate custos Tartari.*

**E.** Offendis aures. **S.** nempe ita absurdū est Deo  
Opera tribuere nocua. **E.** quis quoſo tribuit?  
**S.** Ut à nocuis abstinebas quæ manum,  
**E.** Abstineo & abstinebo ut à vetitis manum,  
Nocua poma nec vocavit conditor,  
Nec ego vocabo. **S.** nec ego, namq; *huc ducere*  
Conantur argumenta te tandem mea,  
Quod non nocuum confiteri cogeris,  
Secura ut illo perfruaris utile.

**E.** Secura, quæ tamen nec ausim tangere  
**S.** Beata possis esse, miseriam eligis.

*Moh-*

**M**onstrauit hunc, ne fallerere, stipitem ?  
**E.** Monstrauit, appellauit. S. ecquo nomine ?  
**E.** Scientiæ boni maliq;. S. non male,  
 Opinor. E. haud dubitabo, quin rectissime.  
**S.** Quid scire noceat ? E. in mali scientia  
Quomodo malum non insit ? S. appendix malo  
Bonoq; constat lance sublati pari,  
Damnumq; compensante nullum est commodo.  
Scis unde nox nascatur ? E. è solis abitu.  
**S.** Scis caussa, quæ noctem repellat ? E. sol redux.  
**S.** Scis longiore nunc dies præsentia  
Illijs ipsos longiores effici  
Nunc contrahi breuiore ? E. Scio, quod scio, mihi  
Magna est voluptas, causa magni gaudij.  
**S.** Nunc ante Solem Taurus, Aries & Leo,  
Nunc post eundem, contra eundem nunc micat,  
Nunc, quod propinquus ille prohibet, non micat,  
Idem est in astris emicandi cæteris  
Ius mosq;, & idem delitescendi locus,  
Eadem voluptas in sciendo si scias.  
**E.** Memorare nil horum potes, quin nouerim.  
**S.** Nisi quid sequatur hinc edentē. E. & hoc scio  
Nam mors sequetur. S. Scis & ignoras tamē,  
Scis puniendum morte, si certum modo est,  
Quid mors sit autem quærit ignorantia.  
**E.** Satis DBVM sit scire. S. si prandebitis  
Hinc, eritis ut dij, quid optes amplius ?  
**E.** Ut esse liceat opto, conferri D&O.  
Cum præpotente nec cupio nec debeo.

S. Licet quod optas, quodq; maius iudicas  
 Quām vota debeat quod ingredi tua,  
 Accede, ramos flecte, fac periculum,  
 Si senties obesse, retrahito manum.  
 Nam morsus vnuis esse nec crimen pote s̄t  
 Tam grande quod negetur ignosci tibi  
 ( Clementius quid conspicatur sol D E O ? )  
 Nec tale damnum quod mederi nesciat,  
 Qui precibus emollicus iram crimini  
 Remiserit factoq; sauam : non enim  
 Ut vteretur nemo, lignum conditum est,  
 Si debet vti stirpe quisquam nobili  
 Quis anteponi possit in parte hac tibi?  
 An esurire iudicandum est cælites,  
 Huc deuolaturosq; vt expellant famem ?  
 At spiritus sunt, corporum verò hic cibus,  
 Et vt reuertar ad relicta, cum scias  
 Tam multa, cumq; tanta delectatio  
 Ex singulorum profluat scientia,  
 Quid hæsitatur ? timida quid cessat manus,  
 Orisq; curata parum cupidine  
 Aspergit hanc imagini labem D E I ,  
 Vi quid bonum, quid sit malum, ignorans duo  
 Præcipua rerum genera non comprenderit ?  
 Quid si vetando voluit accensos magis ?  
 Latuisset in numero alioqui plurium,  
 Ostensa nunc est, cum vetita secernitur.

Chorus.

Tacētne vieta, an imo

Responſa

Responsa acuta corde  
 Conquirit? ab laborat  
 Diuina caussa contra  
 Hostem D E I tuenda,  
 Quis fæminam iuuabis?  
 Vicunque differentem?  
 Res salua: proferuntur  
 Manus, sequetur ingens  
 Orationis ardor.  
Quo proferuntur autem?  
 Ad arborem: resistet  
 Hic Eua: poma ad ipsa:  
 Resistet: sumit vnum:  
 Relinque: fert ad ora,  
 Serueris expuendo:  
 In ventre magna pars est,  
 Serueris euomendo.  
Quid vana vota perdo?  
 Actum est: dolus draconi  
 Successit, inq; rete  
 Illius Eua plantas  
 Inculta misit, Eua  
 Misit, quid ex Adamo  
 Factura, si sequatur  
 Perdi volens volentem  
 Coniunx, sciens scientem  
 Boni maliq; verum  
 Discrimen inde, quod vi  
 Plane obrutus malorum

Nihil boni supersit ?  
 Si non sequatur autem,  
 Et se fidelio rem  
Quam præstat Eua, præstet :  
 Concordiam negari  
 Omnem toro necesse est.  
Quid liberi creati  
 Utrum sequentur ? utrum  
 Damnata turba matrem, an  
Patris beata sortem ?  
 Fortasse somnus alter  
 Est dormiendus, & de  
 Feliciore costa  
 Fingenda virgo, quam non  
 Auertat ars draconis  
 A lege conditoris.  
 Sed quis Dei videre  
 Decreta possit antè  
Quām prodit ipse nobis ?  
 Victoriae quid huīus  
 Occasione si iam  
 Conatus anguis vti  
 In ipsum cundo Adamum  
 Victoriae secundæ  
 Contendat ad triumphum ?  
 Non fiet, vir adeſt, pœna aderit  
 Uxorū citius acerbissima  
 Alter quām faciat congressus  
 Patiundæ opportunum iniuria

Angui-

Anguipotentis terrigenam hominem.  
 Iurgabitur hic, auscultabo,  
 Mors interea ius poscit suum.  
 Et nigra fænus rapiet primum  
 Peccati comes individualia  
 Primi, nec enim fieri ullo modo  
 Vlla ratione potest, quod D E V S  
 Dixit, ut eat in ventos irritum.  
 Cum condita sint omnia Verbo  
 Verbi fugiet quis vim conditus?  
 Cruciatibus o quantis Euam  
 Rapidus somni germanus pigri  
 Obruget inimicos apud inferos?  
 Heu quantus Adamum luctus manet  
 E coniuge, quam longus tam breui  
 Tamq; leui? num poterit cernere  
 Ossa sui corporis & carnem  
 Positam in mærore graui non dolens?  
 Quo busta notemus nos carmine?  
 Huc Euam posuit breui  
 Usum coniugio pius  
 Coninx dissimilem sui,  
 Quæ viuentibus omnibus  
 Humanis genitrix erat  
 Appellanda, futura erat  
 Cum re nomen habens sua,  
 Mortis filia nunc iacet,  
 Postquam frena cupidini  
 Permisit vetitum ad cibum.

Quisquis transieris, caue  
 Ne mandata Dei tui  
 Audaci pede transeas.  
 Nullam nouit in impij  
 Contemptu patientiam,  
 Aut si quam, grauitas suam  
 Pensat more suo moram.  
 Hic busto satis est datum,  
 Si dandum tamen aut malæ  
 Est bustum male mortuæ  
 Aut carmen tumulo dato.  
 Age prime Adame generis humani parens  
 Tu grata saltem dic parenti & fac D<sup>o</sup> o.

## ACTVS TERTIVS.

Adamus, Eua. (nitas)

**D**um varia me & viridis per hortū amœ-  
 Dicit, relictā est sola, quæ mibi data est  
 Ne triste degam solus æuum : gaudia,  
 Si desit, impertire cui possim mea,  
 Habiturus ut non mea, vel ut non gaudia.  
 Quid interim natura rerum quolibet  
 Miraculorum detinens in cespite  
 Aperuit ? ut satiatus ? ut cupidus fui ?  
 Poterat videri nosse, quæ nossem, satis,  
 Restare cognoscenda plura cognitis  
 Etiam videri & verius multo queant.  
 Bene est, quod est, narrare cui possim mea

Inuenta

Inuenta, non grauabor illius meas  
 Aures vicissim promptus inuentis dare,  
 Si forte in hoc & ipsa se mediocriter  
 Exercuit rerum theatro fertili.  
 Nobis hic unus nanq; labor imponitur :  
 Aliquo D E V M videre in operibus modo,  
 Et inde, qualis, quantus, & quam sic bonus,  
 Dijudicare : non enim nos vieti  
 Oportet inuigilare curis alteris ,  
 Aut vita sustentetur vnde, querere.  
 Abundè nobis esse prospectum scio  
 Abundè suppetere necessaria liquet,  
 Gratis modò agnoscantur animis omnia,  
 De iqv; meritis laudibus felicitas  
 Benignitatem nostra celebret obuiam,  
 Idque doceat nepos nepotem : secula  
 Sic plena lustris gaudeamus condere,  
 Seclis & æcum, donec è propagine  
 Multus satis laudator eius nomini  
 Nostra seretur : nunc ad Euam rediero.  
 Nescio, vbi quæram, vbi reliquerim, scio.  
 Quærenda ibi est, vbi relata est, forsitan  
 Quæretur inuenietur, inuenta est, benè est.  
 Salue meum cor, cordis affectus mei ;  
 Meumq; confitentis auxilium : quid hic  
 Stas Euæ, mors venalis vbi proponitur ?  
 Ev. Non peccando, stare nullus prohibuit  
 Vel hic vel alibi. Ad stare nullus prohibuit  
 Vel hic vel alibi : Verum vbius tutius

stes

*Stes alibi, vel minore cum periculo. (iugem.*

**E.** Hæc sunt Adami verba. **A.** Ad Euam con-

**E.** Diuina non sunt. **A.** apta diuinis tamē

*Custodiendis, nam verendum est ne diu*

*Spectando cupias vetita, cupiens auferas,*

*Ablata mors sequatur. E. ad vanum metum*

*Istæ catenæ pertinebunt. A D. vltima*

*Primis cohærent, atq; medijs optimè.*

**E.** Non est necessitatis eiusdem Deum (minor

*Minantem habere, minantem Adamum. A. quid*

*Quod non minatus ille sit? E. tu cernere*

*Prohibes, quod ille edere, quod ille dentibus*

*Tu demis oculis. A D. atq; ideo oculis quidem*

*Ne forte si concessero, datum & dentibus*

*Velint edendum. E. non videndo, sed graues*

*Mouerer audiendo rationes ego.*

**A.** Contra DEI mandata quæ ratio potest

*Excogitari? quem mouere pectore?*

**E.** Contra DEI mandata quis niti queat?

*Alienaq; introducere sacris numina?*

*Nomenq; deformare abusu cogniti?*

**A.** Et sumere cibos, vnde non concederit?

**E.** Et ibi timere, nullus est vbi timor?

**A.** Aut non timere, verus est vbi timor?

*Aut nō timere mortem in hac positam arbore?*

**E.** Pressura quæ si est, quotquot aliquando binc  
edent

*Pœnæ futura, nōnne presenti premi*

*Iam sit necesse, qui ante iam comedelerint?*

*Petis*

A. Petis quod affirmante responso damus.

E. Qui non premantur, non comedisse? A.  
aut nihil

Valere verba, quæ prohibeant comedere.

E. Premi putas me? A. non. E. quid edisse?  
A. nibilo

Magis. E. sed edi. A. morte morieris. E. nihil  
Affers, oportet iam fuisse mortuam.

A. Potius negabo edisse, cum non viderim.

E. At iam videbis. A. quid facis tu? E. quod  
prius

Impunè feci. A. miror, & vix cernere  
Quod cerno, puto me, vix habeo oculis fidem.

E. Assume testes è corona dentium,

Quid obstupescis abstinendo mortuus

Vivente quæ comedit, atq; edit, atq; edet

In posterum quoties libebit? nam licet.

A. Nondum libet, nondum licere probaueras.

E. Mihi probauit, ut mihi licere sic tibi.

A. Vtriusq; si par conditio & idem est status.

E. Fuit profecto. A. & nisi comedisses, foret:

Iam namq; credo te comedisse: at meo

Mandantis insedere voces pectori,

Utcumq; non expressame causa lateat,

Expressa pæna nempe tanto certius

Absterret: an rationis in contrariam

Maiorapartem collocantur pondera?

Quis suadeat, quod ille non dissuaserit,

Sed vicherit: Veruntamen dissuaserit

Tantum,

Tantum, placere sibi negarit hunc cibum  
 Nihil minatus. an sequendus non erit?  
**E**v. Hoc præstat hæc quoq; arbor inter cætera  
 Instruētus ut boni maliq; scientia  
 Animus, timere desinat malum & bona,  
 Ipsamq; mortem, que in D E O s ex hominibus  
 Mutatio est fortasse, sic interpretor.  
 Et nelle credibile est D E V M fieri deos.  
 Mibi crede dulcis est sapor, nec iam mibi  
 Tuis sed oculis crede si ne pœna fore  
 In me vides vt esse : sic te amo , si tibi  
 Mors pœna, poma damna fiant , non queam  
 Nolle sociari, cur leuior in te est amor ?  
 Signumq; cum sui queat , edendo edere ?  
 Ut ilia suadet illa, cuius gratia  
 Coniuncta cum damno quoq; facere debeas  
 Vetitum tibi. Vetita quod arbor porrigat  
 Coniuncta quod concessa concessum puta  
 Mibi inuidet, sola si habeam, quod mibi  
 Commune tecum semper esse oporteat.  
**A.** Quid des vide tu. **E.** Quid recuses tu vide.

Chorus.

Video, datur : video ne, quod datur accipi ?  
 Manu, ore, ventre, video donum suscipi.  
 Diuitiatis siue spes hoc perlicit,  
 Seu mortis ex animo timorem aufert amor.  
 O felix eadem nimis  
 Infelixq; dies : erat

Quæ

Quæ donata suis bonis  
 Pro dono voluit malum  
 Infelix homo & impius  
 Vtro subiiciens malis  
 Sese, conficiens malis  
 Sese, deficiens bonis.  
 Horam quis posuit tibi  
 Mortis, qua nisi senseris  
 Hanc, in perpetuum tibi  
 Non visurus eam licet  
 Quæsitam meritis tuis  
 Vlo iure. Videbere?

An verò, nisi sentias, oportet  
 Nec cœpisse, aliquid nec esse pœnas?  
 At caligine puniere tanta  
 Ut sensus mala, non venire primò  
 Sed venisse tibi parata dicat,  
 Atq; hærentia in intimis medullis.  
 Iam sentis puto: quid fugis? tuine  
 Conspectu trepidas? rbi in leones  
 Magnos imperium? comas strepentes  
 Motas arboribus noui timoris  
 Caussam quis tibi crederet daturas  
 Nuper? nunc alias quis admouendas  
 Maiores tibi credat, vt pauescas?  
 Nunc mortem dubiam videre passus  
 Cum te sub tenebras velis sepultum?  
 O audax homo, qui D e i timere  
 Cum mandata seuera desistis,

Quiduis

Quiduis vndiq; cogeris timere  
 Intentare queant lepusue mūsue morsum,  
 Nedum susue lupusue grandiores.  
 Nec iam querere debeamus, vnde  
 Vxorem Deus inuenire Adamo  
 Iungendam velit alteram : manendum  
 Una est, lapsus v. erq;, pæna lapsus  
 Imponetur vtriq; : nam quid iram;  
 Diuinam nisi pæna consequatur ?  
 Quas vero trahet illa pæna voces  
 Et quantum tragico dabit cothurno ?

## ACTVS QVARTVS.

Serpens.

Plus penè quād volui, & prius quā credidi  
 Posse fieri, factum est ab ista muliere.  
 Admissa pro adiutrice in adiuti sinum  
 Perfecit vna voce id, ad quod millia  
 Perdenda verborum fuissent mibi aliquot.  
 Non ita mibi patuisset aditus : alteras  
 Merui catenas, alteros ad inferos  
 Releger, haud recuso : tanti sit nouum  
 In crimen ire, gaudeamus ut nouas  
 Subire pœnas, supplicia noua ingredi.  
 Peccare tertium liceat, in tertias  
 Properabo pœnas, non enim solus feram.  
 Non cum genere solo meo : quos in meum  
 Neglectus a me substituit homines locum,

Non

Non timidiiores habuit edicti sui,  
 Quamvis putarit conditoris strenue  
 Non posse detrectare vim verbi sui.  
 Quam cecidit hoc pulcrè, quod absq; coniuge  
 Noluit Adamum degere opera coniugis  
 Meum? fecellit non mea ars me, sed sua  
 Illum: putauit coniugi melius fore.  
 Deceptus est: qui iudicauit facilius  
 Sic decipi, discedo compos voti ego.  
 Ac puniemur: hoc in ipso plurimum  
 Nobis triumphi est gloriaturis suum  
 Praeuisa quod feremus: Eua viderit  
 Adamq; , non praeuisa quo pacto ferant.

Logos. Adam.

Vbi lates Adame? curue absecunditis  
 Membris opus fuit? quid obsecro egeras  
 Pudore dignum? siccine ad scientiam  
 Boni maliq; peruenitur? si tibi  
 Tellus dehiscat, atq; clausum recipiat,  
 Clusum videbo, si tegare fluetum  
 Iacens profunditate ineluctabili,  
 Oculis meis non te tamen subduxeris  
 Spectantibus per densa raraq; omnia.  
 Hoc nesciebas? A d. nuditatis me meæ  
 Tantum pudebat. L. unde nudum noueras  
 Te? nunquid interdicta poma sumere  
 Libuit? A. negare non licet. L. ita meritus es  
 Mortem. A. sed illa culpa non propriè est mea,  
 Habeoq; dimittendus in quam transferam.

C

L. Te-

L. Tenēsne memoria recenti cæteros  
 Fructus per hortum me tibi concedere ?  
 A. Tam liberalem te recordor & bonum.  
 L. Vnamq; secreuisse rursus arborem  
 Lethale fætus cuius esset comedere ?  
 A. Seueritatem legis huius antea  
 Non videram, nunc quo magis considero,  
 Hoc tristiore pulsat hoc cor verbere.  
 L. Edisse te scio, teq; moriturum scias.  
 A. Nisi dicta dictis alteris emollias.  
 L. Sententiæ nec pœnitere me potest  
 Enunciatae. A.D. mea fefellit caro,  
 Mea ossa me nimis fefellerunt, D e v s.  
 L. Morientur ipsa quoq; viro cum mortuo.  
 A. At non negabit vxor e manu sua  
 Ac non ob adductis eum ramis cibum  
 Petisse me. L. pœnæ luendæ nominas  
 Sociam. A. nisi tua porrigeret, eram nihil  
 Esurus. L. & cum porrigeret, erat tamen  
 Tibi potestas abnuendi : vietus es.  
 Quid multa ? non defende facinus impium,  
 Si lex posita non esset, haud quaquam arbitror  
 Violata foret, an ergo ad autorem reddit  
 Me culpa, non puto, absolutis interim  
 Quicunque violare audeant, & obsequi  
 Legi recusent ? non ita erit hoc iudice.  
 Mecumne disceptabis ? ut respondeas  
 Ad mille verbum verba idoneum vnicum ?  
 Quod non liceret, si venires innocens,

Quid

Quid prodita licebit innocentia?

Chorus.

Non potes deprehensus Adame caussæ  
 Tam malæ turpiq; patrocinari,  
 Non potes, iuris pereas necesse est  
 Formula, nec spem video relinqu  
 Vllius certam veniæ: peribis  
 Iure tu iuris violator: an si  
 Tu tuis magnis minimè stetisti  
 Ante promissis, etiam decebit  
 Non mindas vrgere suas lebouam?  
 Ab quibus verbis tua damna narrem?  
 Ab quibus guttis tua damna plorem?  
 Quam breuem vitam tibi reddidisti?  
 Qua frui æterna poteras, nec in te  
 Hoc mali subsistit, erunt nepotes,  
 Quos tuam natos ad imaginem omnes  
 Iure fors & mors eadem sequetur.  
 Quanta mœrores tragicos fenestra  
 Postea imminet? neq; plus amæno  
 Possit ostendi foliorum in horto  
 Quam mali humano in genere, idq; mortem  
 Non feret solum, D<sup>e</sup> v s vt minatus  
 Est, sed & ferro & laqueo vocabit  
 Sæpe cessantem sibi: sic malorum  
 Ab bonis discriminabere cessit  
 Plura, quam numen dabat, appetenti.

Eua. Logos.

εheu, misera quid agam? quid egi impronida?

C 2

D<sup>e</sup> v M

D e v m creatorem reliqui, & illius  
 Obtemperare noluisse vocibus  
 Conuincor, excusare non ita facile est,  
 Peccare sicut fuit: ab ira quomodo  
 De i tuebor irruente me ream  
 Mortalitatis atq; mortis horridæ?  
 Facile erat abstinere, non ignoscere  
 Perinde facile est, iusticia pœnam in scelus  
 Poscit, D e v s non iuslus ut sit effice  
 Ut non D e v s sit effici si qua datur  
 Aut iusticia non iusta, pietas impia  
 Non dicta dicta, falsa dictis veritas.  
 Quod si reluctata anguis essem fraudibus,  
 Accederet fautor hilarem, aspectu & D e i  
 Fieri mihi posset nihil iucundius.  
 At nunc quid expectare debeam boni  
 De morte lata viri docet sententia.  
 O quæ serena non potestis ad D e v m  
 Ferri, trahite deiecta nubes lumina,  
 Parate lacrymas doloris consicias  
 Furoris infandiq; testes, ô furor,  
 O dolor & ablitura mors vitam meam  
 Quo verto me? an ad amore dignum coniugem  
 Qui morte propter me perenni plectitur?  
 Ad conditorem? non potest non plectere  
 Nocentiorum, qui innocentiorum puniet.  
 Quid si ad Draconem? me nisi odisset, mibi  
 Non illa subiesset impotentia  
 Consilia quibus intereo: Væ capiti meo.

Eheu,

Eheu, meane culpa & impudentia

Peristi Adame, mortuiq; liberi

Nascentur e parentibus præmortuis?

Vt voluat ætas nulla fugitiuos dies,

Quin matris Euæ acerba fiat mentio.

Lo. Heus mulier accusaris à viro tuo.

Ch. O dura formidabilisq; coitio.

Lo. Subscribis accusationi lacrimans?

Ev. Non lacrimem minis tuis vrgentibus?

Lo. Te condidi adiutricem amatori viro.

Ev. Dedi, iuuari maximè quo credidi.

Lo. Costam fuisse te recordare ante, quam

Fieres mulier, & iam seorsim viueres

At planta, supplantare si bonum virum

Tu debuisses, m:teria erat congrua.

Ev. O summe noster, atq; rerum conditor,

Serpentis hanc culpam putato, non meam,

Is suasit, is doctis quasi coëgit dolis.

Lo. Post de draconे video, nunc arguo

Peccata tua; suasum draconis quid citas

Contra meum imperiū? E. nihil habeo rectius,

Quo iure te remisit huc coniux Adam

Hoc ad colubrum mibi remittere te licet.

Lo. Utroq; deliquisse te constat modo,

viri, quod ederes, & draconis, quod viro

Dares edendum: menè posse decipi

Perinde speras, aut faciliorem fore

Mea verba, si spreueris in hostis gratiam?

Ev. Quod esset hostis ille tuus, id nescij.

**L.** Vetantis & iubentis in contrarium  
 Abire corda non videbas ? E. noluit  
 Vetusse credere L. Tu sciebas. E. censuit  
 Interpretanda verba saltem mollius,  
 Nec conuenire ita dura bonitati tuæ.  
**L.** O stulta, quid fuit pericli simplicem  
 In verba collocare sensum ? hinc mors erat  
 Metuenda, nunquid grauius illinc ? coniugem  
 Decuisset expectare saltem, qui prior  
 Erat creatus, vt prior vel sumeret  
 Sumenda, non sumenda vel si sumere  
 Idem recusauisset, ad sententiam  
 Traheret suam te. E. jerò nunc intelligo.  
**L.** Temporius admonita es: tuum incusa caput.  
**E.** Et caput, & os, & pectus, & celeres manus  
 Odisse, deplorasse, damnasse est meum.

### Chorus.

Etiámne responsare velles impij  
 Conuicta facinoris ? vt negare non potes  
 Apud scientem cuncta, sic iuris nihil  
 Tibi relictum est ante iustum iudicem,  
 Vlli relictus an locus sit gratiae  
 Quis scire possit ? illud obscurum tamen  
 Non est, quod excusare, quam patientiam  
 Præstare, displiceat & irritet magis.

### A C T U S Q V I N T U S.

Logos. Serpens.

**P**Eruerse, tortuose, perdi perdere

Gauise

Gauise serpens, omnis & mendacij  
 Pater scelestè, potesne tu vel mentiens  
 Aliquem vel aliquid iudicare, quod tibi  
 Praierit hoc ad facinus indignissimum?  
 At pulchra res est, gloriando, si tuæ  
 Inuentionis non sit, efficias tuam.  
 Ita compara<sup>o</sup> latrocinij caput,  
 Ut nolle te, quod ego voluerim, appareat,  
 Age, perge, quando ita est, stat ita sententia  
 Contemne pœnas, sceleris ut sit copia.  
 Si primus Orco, nemo tecum de loco  
 Pugnabit, in te statuet exemplum suæ  
 Autoritatis, iuris atq; roboris  
 Muliebre semen faxo, calcatum caput  
 Demitte, non feres inultum, quod mihi  
 Scelestus aduersaris, aduersatus es.  
 Egone rogem te, quid sit illud, quod dolum  
 Coëgit inuenire, quo istos perderes?  
 Tu prima caussa mali malum de proprio  
 Gignis, meum sicut bonum omne proprium est,  
 Minare iam, molire mox cum tempore  
 Calci, ( nec vltra sutor audacissime  
 Te progredivinemus, aut fas progredi est )  
 Morsum, quod audeas, queasue hoc unum erit  
 Eritq; non magis tuarum virium  
 Signum, meæ seueritatis quam decus,  
 Inimicus illud persequare tu volo.  
 Semen, nec ullum fædus inter vos feram,  
 Te mulier oderit iubeo, tu mulierem

C 4

Quid

Quid aliud es tu meritus, aut merebere?  
 S. Ego obsequar, quid illa faciat, viderit,  
 Quid dicat, aut promittat: ecce non habet  
 Aut dicat & promittat. L. obmutescito.  
 Implere ventrem sit tuus terra cibus,  
 Semperq; ita ambulabis, ut tangat cibum  
 Venter cibatus, nempe donec vixeris.  
 Spes nulla redditus in meam te gratiam  
 Fouebit, in pœnas catenæ te tuas  
 Custodient, spaciumq; tibi definient  
 Intra quod obsis, si quis vltro se ingeret,  
 Dixi, necesse est ergo fieri, prælium  
 Ini, experire robur, & victoria  
 Vtcunq; desperatae non prouocet  
 Molestiam exhibere, victoris satis  
 Tamen putabis esse, si satis tibi est,  
 Supra quod ascendisse non licet tibi.  
 S. Discedo tandem iussus obmutescere,  
 Cur sensus audiendi adhuc est integer?  
 An vt audiam quod nolo? quicquid bis tegit  
 Ambagibus canens futuri, si mihi  
 Se duriorem præbet homini mitior,  
 Exerceamus iusta iussaq; prælia,  
 Vincemur autem, & auferemus perditum  
 Caput, atq; pressum calce: oportet credere,  
 Imo experiri oportet, & cum oporteat,  
 Non ante, quam expertus fuero, verum putem.  
 Sed esto credamusq;: certa est gloria,  
 Non incruenta traditur victoria,

In calce qualemque vulnus figitur,  
Solatum praestare calcato potest.

Chorus.

Peccantes suus ordo sumit: autor  
Primum supplicium luit, secundum  
Eua, quem prior inter hunc secutos  
Est, debetur, ut arbitror, quid autem?  
An sicut Draco non habet regressum  
Ad cœlestia regna, gratiæque  
Divinæ radios, ita Eua nunquam  
Pœnarum dederit satis? minantis  
Cum considero ius potentiamque,  
Quam non limite contrahantur villo,  
Lapsorumque opus: una pars ut ignis  
Est, & pro stipula alteram cremabit.

Verum quid voluit sibi

Quod bellum sine fædere  
Indictum est? puto mitius  
Torquendam mulierculam,  
Torquendam tamen, ut DEI  
Fiat iusticiæ satis,

Quam quisquis violauerit  
Non de supplicij fuga,  
Cuius nulla patet via,  
Verum de patientia  
Secum cogitet unica,  
Si quis se sibi, non DEI  
Legem constituit viam  
Viuendi, properat Styga

C 5

Multo

*Multo visere turbidam  
 Peccati periens luto.  
 His conatibus inferi  
 Lætantur, superi dolent,  
 Et de iusticia nihil  
 Diuina perit integra.  
 Tanto prosperitas malo  
 Dignum deseruit caput,  
 Quæ sunt omnia, non erunt,  
 Et mundus redeat prius  
 Ingens ad nihilum vetus  
 Quād dicas : Ego transīj  
 Legis vincla, nec alligant  
 Pœnæ vincula transitum  
 Dicas, ni grauioribus  
 Exercebere, quam leuem  
 Ut mendacia dent iocum.*

*Logos. Eua.*

*Quid Eua de te statuo ? poteram non minus  
 Atrocia, poteram : sed audi quid velim.  
 Quod audijsti de negato fædere,  
 Tuoq; quo calcetur hostis, semine,  
 Et hostis insidijs parandis semini,  
 Non tua, sed hostis pœna, non tuum malum  
 Sed à malo futura liberatio est,  
 Meæq; specimen grande misericordiæ,  
 Qua temperata iusticia non tollitur  
 Suam nec aciem exercet. C. ô mysterium  
 Quod conijcerc liceat nec ipsis angelis*

*Tacen-*

Tacente, qui iam loquitur : ô sapientiam  
 Quæ rebus in discrimen adductis ita  
 Graue, ut grauius hoc inueniri nil queat,  
 Ita scit mederi, ut nec pereat homo, qui tamen  
 Peccando dignum se, ut periret, fecerat,  
 Nec veritas laboret. Lo. ærumnas tuas  
 Multiplicabo, partus ut tibi tuus  
 In lacrimis sobolem propaget, & tuo  
 Victura sub viro magis, quam cum viro  
 Illius arbitrio tuum permiseris,  
 Non libero quidem, minus sed liberum,  
 Tuus ille dominus esto, cui tu seruias.  
 E. Fidelius pœnis ferendis obsequar  
 Quam non merendis. L. qui fefellit te semel  
 Iterum potest, conabiturq; non semel :  
 Prædico, patiar. E. tu repelle, ut irrito  
 Saltem petar, vanoq; conatu, precor.  
 An impetraui ? L. té ie credis tam bonam  
 Ut debeam facere ego ? E. non, sed tam bonum  
 Te, sis ut hoc facturus omnino mibi,  
 Promittere modo ne graueris. L. sic habet  
 Tua se fides ? E. Scis domine, quomodo se habeat.  
 L. Constat er habeat se modo. E. Ah Domine, ha-  
 Munere tuo; neq; n. aliter possit. L. habeat. (beat  
 Ipsiis in ærumnis adero ferens opem,  
 Neq; enim aliter perferre possis. E. ô Deus  
 Ego gratiam quireferam ? L. habendo gratiam.  
 E. Habebo, sed tuam quoq; ipsam munere.

Chorus.

Felici-

*Felicitatis alter*

*Fons est apertus, audi  
Adame: non oportet  
Timere corde, membris  
Non injici tremorem,  
Non contrahenda frons est,  
Exporrigenda frons est  
Exporrigenda: Vultus  
Tollendus est ad astra,  
Ut clausa iure dudum,  
Sic aequitate quadam  
Inexplicabiliq;  
Benignitate rursum  
Patere iussa: noli  
Noli timere, noli.*

*Adamus. Chorus.*

*Ego non timebo? Ch. non timebis. A. sic iubes?  
Ch. Sic iubeo: si suadere manis, suadeo.  
A D. Iubeas, mea nihil interest, an suadeas,  
Si ratio consilij pateat, aut imperi.  
Ch. Opinor audijisse te, quæ coniugi  
Sint dicta. A. nisi surdum astitisse iudicas.  
Quid si loco peiore res erunt meæ?  
C. Meliore credo. A. non video, quoniam modo?  
Meritum video non esse. Ch. meritis non agi  
Sed gratia video. A. quis autem gratiæ  
Compellet autorem, quod vni impertijt  
In altero obseruare, tanquam ex merito agat?  
C. subiçitur Eua tibi. A. quid huic putē adiçci?  
C. Illud,*

C. Illud, loco peiore ne res sint tuæ,  
Subiecta quam quo costa res cernit suas.

Logos. Adamus.

Adame, iudicata costa est, iudicem  
Audivit anguis, ad tuæ sententiam  
Nunc venio pœnæ. A. si modo exiremam dare  
Non cogar extremo reseruatus loco.

L. Obtemperasti non meis uxoriis  
Verbis, ut essem, esse quæ concesseram,  
Sed porrigenti, quod vetueram, dexteræ.

A D. Factum nec excusare possum, nec nego  
Confessus ante, & ante defensum male.

Lo. Securus æternæ sub inferno necis  
Totius horti oblitus, & mille arborum,  
Ingratus accepisti ab excepta cibum,  
Igitur nec ipsa terra culturæ tuæ  
Votisq; respondebit, ac laboribus,  
Falcemq; præscindetur ante flexilem  
Spes, arua quo proscissa vomer transiit.

Et tritici felicis expectatio  
Falletur in spinasq; loliumq; exiens,  
Et usq; ad herbas venter esuriat tuus.

Nec ante sudorem fluentem copia  
Te nutrientis affluet panis tibi.

Hac lege viues, donec in viuis eris,  
Saturq; vita fata cum peregeris  
Sepultus absumere materiem in tuam,  
Et qui fuisti terra, terra mox eris.  
Quid inde speres, quid futurum postea

sit,

Sit, seminis promissa tacitè continent.

Chorus.

Fer libens mortem, fer Adame, non est  
Quæ tuitotum necet illa, sed quam  
Parte contentam pretij minoris

Parte subibis.

Si tibi duram tua pœna vitam  
Reddit, in multisq; malis agendam  
Vita pistrinum diuturna longum  
Esset, æternumq; perennis : addit  
Hoc bonis, si sint diuturna, demit  
De malis, si non diuturna possis

Esse probare.

Morte tolluntur mala, mors in ipsis  
Cum malis non est : pietate gaudε,  
Non erit, gaudε, cane, psalle, salta,  
Iudicem lauda, dominumq; : laudum  
Antea oblitus fueras, probarat  
Se parum gratum tua conditori  
Lingua, sed tanto magis esse grata  
In redemptorem studeat, duplexq;  
Caussa non simplex det in excitando

Pectore calcar.

Logos. Adamus.

Auferte vos hinc, exulate, patria  
Nescistis vti, deseratur, ne rapax  
Æternitatem dextra carpat alteris  
Malis habendam : non potest æternitas  
Prodesse : dum peccata fertis in sinu.

In

In carne regnum semper affectantia  
 Et defatigatura promptum spiritum.  
Quid tam simile, quam nunc Adamus est Dei?  
 Egregia similitudo, cuius operculum  
 Folia fuere non placentis non placens  
 Mibi: tegam vos melius ouium pellibus,  
 Ut quos pudere necesse erat cutis suæ  
 Alienæ munitat, idq; cum mysterio  
 Certæ salutis nunc latente, sed suum  
 Tempus manente, tempore reuelabitur,  
 Tempore patescet, interim solamini  
 Vos sp̄e futuri, sensus ut præsentium  
 Deliniatur, inq; fraudem temporum  
 Nihil ille falsi corde supponat pio.  
Auferte vos hinc, exultate, paululum  
Gustatem ortis, deuorandum est alteri  
Quod est in illa asperrium & acerbissimum.

## Chorus.


Properate dies, horæ citius  
 Orientis & occidui cœli  
 Temporis interpositum quicquid  
 Quicquid spacijs est, emetimini.  
 Series annorum fugit annos  
 Prius implendos, iniectus quād  
 Pro nobis infata vicarius  
 Irrumpat, secula ne stetis  
 Secula fuga si dabit annorum.  
 Ver floriferum dare quid differt  
 Animosum germine sacro ducem?

Fac

Fac roscide limes tenebrarum  
Lucisq; aurora salutari  
Partu mane redeat, amissum  
Quod vespera deplorat sera,  
Aut plus redeat, quoniam maius  
Iusta redēmto soluit pretium  
Quācum quo sua conferre queat  
Pondus miseræ debita culpæ,  
Quid miseræ? felicis potius  
Ab eo, qui soluere dignatur  
Iusticiæ gloria iustissimo  
Summoq; D s o, quem nihil accipit  
Inclusum, quem præsentem nihil  
Excludit: pax terras habeat,  
Hominumq; pio placeat cœtui,  
Habet illas pax, placet huic cœtui.

F I N I S.





Abg. M68

**ULB Halle**  
002 631 199


3



55

VDT





DOMINUS APOSTOLUS MAGISTER VOCATIONIS SANCTI

APOSTOLUS MAGISTER VOCATIONIS SANCTI

VOCATIONIS MAGISTER VOCATIONIS

THEATRUM OPTIMI REPERTORI PHENOMENON ILLUMINATS

A G O E D I A

N O V A;

producuntur primi  
entes, & humanæ infelicitat-  
ur origo prima, ea quidem fe-  
quemadmodum experiundo  
esse illa non possit, sic in thea-  
tris eruditis spectatoribus, domi-  
nū Lectoribus singulis iucun-  
dissima futura sit.

*ge: non pænitabit.*

LIPSIÆ

MEBAT MICHAEL

NTZENBERGER.

A N N O

M. D. X C VI.

11495

Ell 1382